QUOD BENE FELICITERQUE VERTAT!

Jussu

SENATUS REIPUBLICÆ ELBINGENSIS,

Ad

Solennem

PANEGYRIN,

In qua

VIRO

CLARISSIMO atque DOCTISSIMO

DOMINO

GEORG. DANIELI SEYLERO,

Spirensi,

CON-RECTORIS MUNUS

In Gymnasio Elbingensi, more ac tempore consveto, XXVIII. Maj. A. O. R. CIↃ IↃCC XX. conferetur,

LITERARUM PATRONOS, FAUTORES & AMICOS ea, qua par est, observantia & humanitate,

invitat

CHRISTIANUS JACOBUS Koitsch /

Gymn. Rector.

ELBINGÆ,

Typis SAMUELIS PREUSSII.

VErni temporis amœnitas, jam ad æstatis fructificationem se inclinans, non magis herbarum virentium, florumque pulcherrimorum varietate oculos pascit; quam mirabili naturæ solertiâ animos provocat, & ad petenda ex se rerum agendarum exempla invitat. Ecquid enim propius rem Scholasticam est, ut cum illo comparetur, quam tempus florum, quam fructuum proventu feracius: serendique magis & plantandi, quam metendi imperans labores? Ex magna vero copia eorum, quæ natura ob oculos ponit, vivendi rationem aliquo modo adumbrantia, maxime roris, quem vernus aër gignit, indoles, vis & efficacia considerari merentur. His enim salubrem dicendi docendique rationem, quam Spiritus S. officinæ expetunt, præfigurari, Israëlitarum Legislator innuit, in cygnea cantione, qua ipsis vale dixit, his verbis utens: *Destillabit in modum pluviæ mea doctrina; fluet ut ros oratio mea.* Deut XXXII, 2. Verba hæc precantis fuisse, Deumque, Doctorem summum, invocantis, ut Spiritus sui gratia & virtute ea, quæ dicturus esset, prosperaret; quo non in aures tantum, sed in animos etiam auditorum penetrarent, eosque ita afficerent, ut vel ad salutis viam errantes revocarentur, vel adversus futurorum temporum insidias præmunirentur, extra controversiæ aleam est positum. Ecquid enim vocabula pluviæ stillantis, rorisque defluentis, quibus verborum suorum flumen æquari cupit, volunt aliud, nisi ut, quod illa in herbis, id hæc in animis præstent & efficiant? Nam quemadmodum tam pluvia, quæ est ros copiosus, quam ros, qui pluvia tenuis est & rara, vigorem iis, quæ ex terra enascuntur, tribuit, & quæ diurnus æstus desiccando enervandoque inclinaverat, reficit & confortat, ipsam humum inebrians & fœcundans: ita doctrina, divinis legibus conformata, notitiâ summi Numinis salutari, quam parit instillatque, mentes mortalium recreat, & corda peccatorum sensu arefacta, fide in Christum accensa erigit, ac amoris DEI, operante Spiritu S, se pectori infundentis, demonstratione confortat. Qui naturæ arcana curatius scrutantur, tradunt, hunc nocturnum humorem non modo vim veneni in venenosis animalibus reprimere & coarctare, ne tantum noctu, quantum interdiu, se diffundat; sed etiam ostreas, & alios conchyliorum pisces in mari, reddere prægnantes. Ajunt enim, tempore verno ostream de nocte se contra rorem aperire, eumque descendentem intra se recipere ac haurire; haustum vero piscem reficere, ac gravidare, ut margarita pretiosissima progignatur. Ecquid vero vim veneni, quod serpentis antiqui astutiâ naturæ humanæ est infusum, vehementius reprimit, coërcetque fortius, quam ea docendi ratio, quam Christiana religio præscribit? Hæc animum fœ-

fœcundans, Divini Spiritus virtute, margaritam illam in pectore gignit, quam ob summam ejus præstantiam, vel omnium, quæ possidemus, jactura redimi, si res postulet, salutis nostræ jussit Instaurator. Omitto nunc reliqua, quæ ad hanc rem fusius explicandam adduci possent; in primis, quod ille humor, quamvis ipse insipidus videatur, dulciores tamen pecori reddere herbas, mellisque & mannæ, jucundissimorum liquorum, servire generationi dicatur: quo ipso doctrinæ salutaris conditionem adumbratam conspicimus; quippe quam pro cibo insipido divinarum rerum imperitis haberi novimus; quæ tamen vim ejus usu percipientibus gratior est auro, svavior melle, dulcior nectare. Videamus potius, quam sequi oporteat docendi rationem, si quis laudatos adipisci fructus velit. Rorem constat generari ex vaporibus, quos terra usque in cœli, quod aëreum vocatur, regionem infimam emisit. Hujus enim virtutibus imbuti, & vi frigoris nocturni condensati, cum aërem pondere suo gravare cœperunt, insensibiliter descendunt, & per herbarum superficiem se diffundunt. Eadem esse debet ratio doctrinæ, quam salubrem animis, verarumque virtutum genitricem esse cupimus. Nascitur illa quidem ex ingenio literarum studiis subacto, & ad humanitatem informato: sed in cœlum ardenti precum studio, sanctisque verborum divinorum meditationibus est evehenda, & in laborum societatem ipse Deus adsciscendus: tunc Spiritu Divino aditum ad pectora aperiente, efficitur, ut doctrinis, tanquam rore, ingenia reficiantur, ac velut imbre fœcundentur. Id quod licet semper animo sit perpendendum, opportune tamen nunc cogitamus, quum jussu MAGNIFICI & AMPLISSIMI MAGISTRATUS, DOMINORUM ac NUTRICIORUM nostrorum submisso obsequio Colendorum, *Clarissimo atque Doctissimo* VIRO, DN. GEORGIO DANIELI SEYLERO, Con-Rectoris in nostra literarum officina spartam obeunti, solenni ritu cathedra est aperienda. Natus is est quidem Spiræ Nemetum, anno CIϽ IϽC LXXXVI. sed Patre Gedanensi; quem bellicæ calamitatis, tunc temporis universum Palatinatum inundantis, ipsique urbi ruinam, & excidium adferentis, sævitia de domo fortunisque deturbatum, primo quidem Francofurtum, quod Mœnus alluit, post Gedanum reverti coëgit: quo noster quoque, cum annum ætatis ageret octavum, simul deductus, pietatis ac literarum fundamenta in Schola Mariana jecit, & postmodum sub celeberrimis ætate illa Viris, *D. Schelgvigio, D. Willenbergio, Groddeckio, Gradio, Behrio, Sartorio & P. Patre*, quorum nonnulli rebus humanis jam sunt exemti, in Athenæo Gedanensi, magis magisque excoluit; tandemque editis nonnullis profectuum speciminibus, in quibus oratio Græca, *de Grato erga patriam animo* eminuit, solenni tandem dissertatione, *de Bonis Operibus*, sub præsidio B. D. Schelgvigii habita, Musis Gedanensibus vale dixit. Anno CIϽ IϽCC X. Wittebergam profectus, quamvis Theologiam non negligeret, Philosophiæ tamen præ ceteris, nec non humanioribus literis, ductu clarissimorum illo tempore virorum, operam dedit: in primis autem Exquisitissimo Philosopho, *Jo. Baptistæ Rœschelio*, ita se probavit, ut ejus hospitio & mensa utenti, cum in magnam ejus familiaritatem pervenisset, bibliotheca etiam pateret. Quo vita defuncto, literis Excellentissimi atque Consultissimi Viri, *Jo. Petr.* Ludewig/ Consiliarii Regii, nec non Juris & Historiarum Professoris P. celeberrimi, Halam Magdeburgicam est evocatus, ut à Bibliotheca, quam splendidissimam habebat, manuque ejus esset: eo ipso exoptatissimam nactus occasionem Historiæ, in primis antiquæ, & quæ medii est ævi, accuratius addiscendæ. In hisce studiis versanti literæ Gedano sunt allatæ, quibus à *Generoso atque Per-Magnifico* DN. C. E. BAUERO, Gedanens. Reipubl. Præ-Consule, dum viveret, Meritissimo, invitabatur, ut nobilissimo atque unico

Fi-

Filio, olim ultra triennium discipulo, jam Patrono summopere Colendo, peregrinationis comes atque Ephorus adesset. Reversus itaque paulo post anno CIↃ IↃCC XIV. iter cum eo est ingressus, & ex sententia B. Parentis Academiam Lugdunensem, tanquam futurorum studiorum suorum palæstram, petiit, ibique per biennium commoratus, *Vitriarii*, *Noodlii*, *Gronovii*, *Perizonii* (qui tamen fatis paulo post adventum ejus cessit) *Burmanni*, *Creenii*, aliorumque eruditissimorum illius Academiæ virorum Scholas frequenter adiit. Lustrato dein universo fere Belgio, cursum ad Gallos direxit, & Blesis quidem integrum annum lingvæ Gallicæ vacavit: facta postmodum per Turones, & Salmurium ad celebrem Andegavensium Academiam equestrem excursione, Lutetiam Parisiorum salutavit, ibique aliquot menses commoratus, lustratis observatione dignioribus, in notitiam Illustris *Biguonii*, diligentissimi *Montfauconii*, *Dupinii*, *le Nourry*, aliorumque ingenio & doctrina excellentium Virorum pervenit. Inde in Germaniam iter flectens, Argentorato Basileam, & hinc reversus Spiram, dulcem olim patriam, unde biennis pulsus fuerat, Moguntiam, Francofurtum, Norinbergam, Ratisponam, Vindobonam, Pragam & Dresdam perlustravit, eoque itinere magni nominis viros, *Wetstenium*, *Werenfelsium*, *Godofr. Thomasium*, *Heræum*, *Gentilottum*, aliosque salutavit: donec superatis variis itinerum molestiis, anno CIↃ IↃCC XIIX. una cum amantissimo Bauero per Dei gratiam salvus atque sospes Gedanum rediret. Nunc nihil superest aliud, quam ut, quicquid roris in tot eruditionis campis, quicquid mellis è tot literarum floribus collectum est, in usum Musarum nostrarum conferatur. In quem finem cras, volente DEO, provinciam demandatam auspicaturus, è cathedra de *Posteritatis cura* verba faciet; quando Rector aliqua de *Concordia studiorum rationis atque fidei* fuerit præfatus, ut monstratam erudiendæ juventutis rationem commendatiorem reddat. Omnes itaque & singulos literarum amantes, in primis VIROS GENEROSOS, MAGNIFICOS, AMPLISSIMOS atque CONSULTISSIMOS, DNN. BURGGRAVIUM REGIUM, PRÆSIDEM, PRÆCOSS. atque COSS. PATRONOS & NUTRICIOS Musarum nostrarum submissa observantiæ cultu prosequendos; nec non *Excellentissimos*, *plurimum Reverendos*, *Prænobiles*, *Nobiles*, *Spectabiles*, *Præstantissimos*, *Humanissimosque*, FAUTORES & AMICOS *honoratissimos*, submisse, officiose, ac peramanter rogamus, ut huic actui frequentes interesse, & tum novi Con-Rectoris, tum omnium, qui docendi munere funguntur, doctrinæ, ut tanquam pluvia destillet, & instar roris semper fluat, à DEO Opt. Max. gratiam expetere haud dedignentur. P. P.

d. XXVII. Mensis Maji, A. O. R. CIↃ IↃCC XX.